

dam Capita aliquatenus cum iis conveniunt, quaedam prorsus abeunt, quin in alia *Ecclⁱ* loca commentantur. Redit igitur dubium, an *Paterius*, *Alulfus*, *Bruno*, aliisve dicendus sit Excerptor. *Maurianorum* silentium indicio est, nullum iis Codicem nostro similem in manus venisse. Abstineo pluribus; non enim de Opere *ἀνεκδοτῶ*, sed de *Gregorii* sententiis sermo est, quae alioquin in ejus Operibus vulgatae sunt. Do tamen C. I. initium: *Omnes, qui ea, quae mundi sunt, mente calcant &c.*

Scheda Codici inserta ejus quidem Scriptorem facit *Luitboldum* monachum *Lunaelacensem* nobis pluries memoratum, sed, quae leguntur *fol. 193. p. 2.* eum potius e *Canonia S. Zenonis* in *Tyrolis Lunaelacum* deportatum fuisse probant: *Nota, quod hij 4^{or} pape omnes Donaciones et bona predia et redditus libertates priuilegia Ecclesie sancti Zenonis, liberam electionem pro preposito, vno ex eorum congregatione fratre professo, prout et omnes sollempnitates confirmarunt suis patentibus bullis, Lucius, Eugenius, Alexander, Adrianus.*

CCCCII.

U. 272 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. f. min. nitidissime per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, *κρημα* quondam *Job. Alexandri Brassicani* nostri, ut in Theca literae I. A. B. et per decursum plura manus ejus vestigia declarant, et ab eo ad *Job.*

Fabrum Ep. ut Nota impressa Thecae adfixa loquitur, delatus ita minio insignitur: *Incipit praefacio ysidori in explanatione. hystorie. diuine. legis.* Puta *Commentaria in V. T.* allegorica, prout extant edit. *Breulianae Paris. 1601.* p. 413. f. Praefationis initium est: *Historia sacre legis non sine aliqua &c.* et lectio imperfectior editis, nisi malis: *canorum aliquid resonant pro sonorum, item: non nostra legat — relegat pro legit — relegit, item: nostri temporis insigniter eloquenti pro nostris insigniter temporibus.* Sub finem *Augustino* et *Fulgentio* manus *Brassicani* interseruit *Eucherium*, nec abs re, nec certe nisi alterius Codicis fide. Deinceps Libris singulis praefixus est *Capitum Elenchus*, ut in Editis. *Genesis* incipit: *Creatura celi et terre quomodo hystorialiter &c.* nec deest in textu, unde perficiantur Edita. Ita v. g. C. I. *fecit Deus coelum, addendum e Codice et terram.* C. II. *quod in lucis nomine, interponendum, quod in Ecclesia lucis nomine.* Item: *ut ibi suspicientes interponendum spirituales, et mox legendum, quasi inter aquas pro qualiter inter aquas &c.* *Tractatio* integra in *Machabaeis* terminatur: *suntque uniuersa mysteriis consummata. Per dominum nostrum &c.*

Fol. 85. sequitur *Elegia XI. VIII.* Distichorum, quorum tamen duo Versiculi exciderunt. Ea decursa legas: *Explicit liber ysidori in explanatione hystorie legis diuine.* Credas igitur illam ad hoc Opus pertinere, et esse quoddam quasi

quasi Autoris *ἐπιφώνημα*. Quin et Decastichon inde *Isidori* nomine citari videas a *Guidone Perpinianensi* O. Carm. Scriptore Sec. XIV. in *Summa de Haeresib. Paris. 1528. fol. 58. p. 2. f.* At vero primus illam e *Cod.* ut ait, *ms.* publici juris fecit *Joh. Tamayus Salazar* in *Anamnesi SS. Hispanorum* T. II. *Lugd. 1652. ad diem IV. April. p. 488. f.* Distichis XXXII. inscriptam: *Incipit Titulus Bibliothecae a D. Isidoro editus.* Aliud Exemplar nactus Distichor. LI. *Lud. Ant. Muratorius* produxit *Anecd. T. II. p. 208.* quod *Henr. Floreus* inseruit T. IX. *de la España Sagrada, Madr. 1752. p. 376. 4.* adjecitque aliud Distichor. XXXIV. e *Cod. Reg. Matritensi* eodem insignitum Titulo. Specimen aliud Distichor. XLVI. in *Germania*, nescio ubi, repertum ad calcem L. XV. *Biblioth. med. Lat.* impressit *J. Alb. Fabricius.* Audio denique repraesentatam hanc *Elegiam*, seu, si mavis, hos *Titulos* in novissima *Opp. Isidori* Editione *Matrit. 1778. T. II. Append. p. 67.* quae cum ad manum non fit, dicere non possum, an illi a Curatoribus aliquid opis

medicae accesserit, quod quidem Editorum, quos enumeravi, nemo sibi sumsit. Perturbatus enim in eorum Exemplis ordo, omissa hinc inde non pauca, alia mendose scripta, carminis leges non raro violatae, quod postremum tamen rectius fortasse ad ipsum Autorem, quam ad Librarios retuleris. Id quod non eo dictum velim, quasi nullis *Codex* noster labore vitiiis, nam et *Titulis*, qui certe lucis aliquid adfundunt, interstinctus non est, et toto illo *Titulo*, qui *Scriptorii* et ad *Interventorem* (*Interventorem*) insignitur et Distichis V. constat, caret, ut *Fabricianus*, sed, quod rectiore procedat ordine, et quaedam sincerius legat, in quibusdam conjectori faveat. *Triariam* porro divisum est *Poemation* in *Titulos* seu *Inscriptiones Bibliothecae, Pigmentarii* sive *Penus Aromatum, Unguentorum &c.* et *Scriptorii*, sive *Musei Librario-*rum. Lustremus primum *Bibliothecam. Haec gemmae radiant — legis*, melius *Codex* noster *Geminę*; est enim sermo de V. et N. Testamento. *Ille Origenes ego &c.* Fors legendum: *Ille ego sum Origenes.* Omittunt omnes:

*Quem primum fidei gratia clara dedit,
Celsus eram meritis et clarus copia fandi,*

praeter *Guidonem* supracit. et *Nostrum*; legit vero *Guido*:

Qui primum fidei grammata clara dedi,

et munere fandi pro copia. Item voce nocente rui pro lingua, quod habet *Noster* cum aliis. *Ultimum*

demum de *Origene* versum optime *Guido*:

His

His me collectis aspera tela premunt.

In *Augustino* pro *placeant volumina* solus *Tamayus* legit *placeat prudentia*. Idem in *Hieronymo*, in quo pentameter primus omnibus deest, solus *concinat orbis* pro *personat orbis*, ubi *Noster* *personat orbe*. In *Joh. Chrysostomo* pro *inde vocatus* vel *vocatur*, reponendum putem *vocabar*, et melius legi *virtutum præmia*, quam *prælia*. In *Prudentio* nec *par erat*, nec *par eat*, sed *pareat*. De *Juvenco*

et *Sedulio* rectius fortassis *Ambo pares lingua*. *Noster* pro *versibus ambo* habet *versibus bi sunt*. In *Leandro* advertere quem possit *ἐπιθετον Vates*. An *Vates* ob impensam *Psalmodiae ecclesiasticae*, quam scriptores memorant, operam? An, si quidem certum foret, *Verficulos* hos ab *Isidoro* compositos fuisse, *Vates* irrepfit pro *Frater*? De *Jureconsultis* rectius *Noster*:

Tolle hinc segnitiam, mentis fastigia (al. fastidia) pone.

Doctior inde redis pro *redit*. Distichon: *An dicis forte &c.* optime habet apud *Tamayum*, nobis hiat. Placet etiam illius lectio in sequenti: *percurrique omnia legis verba*. Sed *Medici* penitus illi defuere, qui etiam in Codice nostro pejus habent, quam apud *Floresium* et

Fabricium. In Titulo *Pigmentarii* pro *Nos vilibus fruimur*, rectius *Noster* *Nos viles*, item pro *Quaeque opulentus Arabs* rectius *Quaeque ferunt Seres*; nam *Arabis* jam praecessit mentio, dein post versum: *Unguenti genera dum sint* &c. non male interferit:

Nil nardo et stacte suavius esse potest.

Unguenti genera dum consent florida plura;

mox, ubi de Odore Rosae et Violae supra citati legunt: *Cedet Elinus* &c. in Nostro scriptum est *Chelinus*; quo loco conjecturam premere nequeo. Novimus *Χηλας* graece etiam dici *Ungulas* animalium bisulcas, *Ονωχας* item eodem usurpari sensu; esse vero *Ονωχα* juxta *Dioscoridem* L. II. c. 10. etiam *πωμα κογχυλις* Operculum seu testam Conchylii in *India* reperti in litoribus nardiferis, *διο και αρωματιζει*, inde aromaticum, at-

que istud Aroma innui videtur *Exod.* 30. 34. ubi hebraeum *חליל* Interpres reddit *Onychem*, et *Eccli* 34. 21. ubi graecum *Ονωξ* Vulgata *Ungulam* interpretatur. Quid igitur si ex affinitate *της Χηλης* et *της Ονωχος* Adjectiva etiam *ονωχινος* et *χηλινος* significatu aequipollerent, et lectio nostra *Cedet Chelinus*, primigenia et sincera esset? Hexametrum demum postremum ita censerem legendum:

Vascula concreto (vel concretæ) fragilis (vel fragili) de pulvere cretæ.

Verum vel sic plura in his Distichis supersunt, quæ immedicabilia videntur.

CCCCIII.

R. 2000 Codex membraneus lat. Sec. XV. ineuntis Folior. 156. f. per duas columnas non una manu, probe tamen exaratus, rubricis enotatus, et, ut pluribus locis præfert, quondam *Fratrū domus Porte beate Marie virginis in Axpach ordinis Carthusiensium Prouincie Austrie* ita orditur: *Incipit præfatio Ysidori in explanacione hystorie Diuine legis.* Habemus itaque sancti doctique Praefulis *Commentaria in V. T.* prout in edit. *Parisi.* 1601. f. p. 413. adpellantur, et quidem integra, nec spernendi exempli, ut enim pluries peccet, sufficit tamen etiam quaedam lectioni editae præferenda. Ita in *Praef. malim canorum aliquid resonant, quam sonorum aliquid resonant; item non nostra legat — relegat, quam non nostra legit — relegit. Cap. I. tenebrosū et profundū, quam tenebrosū et fluidū; item in ecclesia lucis nomine, quam lucis nomine &c.* Ad calcem adscripta sunt XLVIII. illa Disticha in *Bibliothecam et Pigmentarium* eodem modo, ut supra dixi, se habentia, quæ cum pariter excipiat miniata illa Clausula: *Explicit liber ysidori in explanacione hystorie legis diuine*, lectioque varia passim consentiat, dubium mihi vix

est, pro more, quo Coenobia Codices sibi communicabant, hunc e superiore descriptum fuisse.

II. fol. 85. p. 2. vacua curren- te calamo adscripta est *Expositio. V. I. C. V. Isaiae: Cantabo dilecto meo Canticum*, qua verba hæc singula mystice expenduntur.

III. fol. 86. *Incipit Honorius super Canticum canticorum.* Frequenter et superiore, et hoc *Vol.* recensum est Opus istud, motumque dubium, an *Honorius* hic re ipsa sit *Augustodunensis* ille Literatoribus cognitus. Initium in hoc *Exemplo* pariter est: *Symoni donum sapientie cum Salomone possenti &c.* memoraturque mox *eius predecessor beate memorie venerandus Abbas Chuno.* Multa ceterum *Inscriptionum* miniatarum differentia, nec rara, si cum *Editis Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1153.* contendas, lectionis varietas. Ad calcem rubro: *Explicit Honorius super Canticorum. Cibus est perfectorum. Amen.*

IV. fol. 154. *Concordantie veteris ac noui testamenti.* Ita concinnatae, ut ab *Annuntiatione* aduentus Christi usque ad aduentum *Judicis* singulis *Mysteriis* adcommodetur, quidquid in *Lege* veteri aliquam habet *Figurae* speciem. Ineunt hoc modo: *Annunciatio filij dei. Conceptio virginis Marie. Nunciatur Abrabe ysaac natiuitas Gen. 17. Predicit angelus parentibus ortum Sampsonis Judic. 13. Datur Gedeoni signum in vellere Judic.*